11
34-6-E-F-
69

DIVINA IVRISPRVDENTIA,

SIVE

LEGIS PERITORVM IDEA

S. IVO

ORATIO

HABITA

AD EMINENTISSIMOS

S. R. E. CARDINALES

A CAROLO RISCHIO PRAENESTINO

Sem. Rom. Clerico.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EMANUELE

ROMÆ.

Typis Ignatij de Lazaris. M.DC.LVII.

SVPERIORVM PERMISSV.

Digitized by Google

Digitized by Google

EMINENTISSIMO PRINCIPI

FRANCISCO

CARDINALI BARBERINO

S. R. E.

VICECANCELLARIO

CAROLVS RISCHIVS F.

CAELESTI nobilem Sapientia, prodigijs operum admirabilem IVONEM Iuriſperitorum Ideam offero tibi P. Em. vt Laudes, quas in IVONE ſuſpexere, in Te, Tuiſque venerentur mortales. Venit acceptura exilis hæc oratio mea ſplendorem, promerita dum Tibi reddit obſequia. Nec alio nomine meam vel excuſo audaciam, vel abſoluo, niſi quod Præneſtinum Cœlum, ſub quo naſci ſors fuit, Sapientiæ, & honeſtorum operum Lucem è Barberinis Splendoribus omni ex parte ſuſcepiſſe cognoſco. Damnare poteris muneris tenuitatem, non tamen vbi Tuas venerit in manus; quod enim Tua Amplitudine dignaris, eſſe minimè exiguum poteſt. Quod verò me præ cæteris ab hoc Literario grati animi monumento Tuæ Maieſtas Sa-

Digitized by Google

pientiæ deterrere non debeat apertiſſimum eſt: Nam grauius quiddam extimeſcerem, ne ſcilicet Iuſtitiæ leges in IVONE celebrans, in leges ipſe peccans æquiſſimè damnarer: meque vt ingrati animi Ideam, mortales omnes exponerent, niſi ad Eum accederem, cuius penè diuina beneficentia, & beneuouolentia incredibilis me, meoſque beneficijs exornarunt. Præſertim cum minima quæque germina Solem Suum agnoſcant, cuius perpetuis aſpectibus ad ſpem fructus adoleſcunt.

62

ORATIO

QVOD optimum eſt PP. Em. idem omni in re rariſsimum experimur : paucitas præ cæteris vna gemmarum, inter arenarum, lapidumquè innumerabilitatem hoc edocet aptiſsime : Natura ipſa, vt vnicum inter auium multitudinem amat Phenicem; ità & in cæteris rebus, vbi pretium oſtentat, ſuam gaudet oſtendere paupertatem; nec in Cœlo nobilior optat æſtimari, cum inter infinitum ſiderum exercitum, alium, vt luminum ducem, ac Principem, alium Mundi oculum, aliud Cœli prodigium, niſi ſolem, quem admiremur exponit. Adeò difficile ac prodigioſum eſt omni ex parte perfectum inuenire: adeò verum effatum præclarum omne rarum. adeò conſtans: rerum Excellentiam, atque præſtantiam, non niſi extremis naturæ viribus, & ingenio comparari.

Diuina tamen beneficentia factum eſt, vt eorum maximæ multitudini, qui ſcientijs, virtutibuſque inſiſtunt; præſtantiſſimæ, cum quid addiſcunt, ideæ ſint propoſitæ, quæ Cæleſte neſcio quid præſeferentes, ſupra mortalium apices, & prope diuinitatem videntur aſcendere. His omnibus virtutum, & ſcientiarum veluti Idæis prætermiſsis; Hanc vnam; quæ IVO eſt, Iuris Peritiſsimis à Deo traditam, vt inter Conſultorum Iuris lumina, ſolem ſpecioſiſsimum ſapientiſsimorum Virorum Phænicem: Virum, tam dictorum prudentiæ, quam geſtorum pietate magnum, licet maximis comparatum, hodierna ſub

panegiri propono eumque dum Cœlo lapſum Iuriſconſultum, dum eius Diuinam Iuris prudentiam, dum veram Aduocatorum Idæam dixero, haud dubito, quin meorum humanitati Auditorum, vobiſque lectiſsimis IVONIS Socijs, gratum hodie de virtutibus eiuſdem cadat elogium, quando in hac Sapientiſsimi Viri virtutibus illuſtrata die, non tam pro IVONIS Encomijs, quam pro omnium veſtrum immortalitate nominis perorabo.

Verum non hic ego grauiſsimum illud dicendi argumentum prætexam, quod in Regno adminiſtrando, in Republica inſtituenda, in legibus interprætandis ampliſsimè verſatur; ſed eam Iuris ciuilis excellentiam, hac IVONIS panegiri adumbrabo, quæ factis ſapientiam copulando perfectiſsimum efficit Iuris conſultum; nobiſque tam inſignis Ducem facultatis, ac veluti ſpeculum IVONEM exibet; In quo omnes vos veſtras non quidem maculas, quæ nullæ ſunt, ſed tum facultates, tum vitæ ornamenta, elegantiſsimæ alicuius Virginis exemplo poſsitis contemplari.

Et quis veſtrum ignorat, illud vnum eſſe Iuriſconſultorum munus, Vt intelligant Pacem, atque concordiam eorum probitati; priuatorum omnium commoda integritati; Rempublicam vniuerſam Conſilijs, & ſapientiæ eſſe commendatam? hac tamen ſuper re ſi vnum aliquem ex veſtris, Conſulentes rei veritatem breui oratione rogitemus: in vna ſermonis, operiſque efficacitate totum Iuriſconſulti munus exiſtere pronunciabimus; nam nihil iuſtitiæ magis accomodatum videri vnquam potuit, quam ſi Ius Ciuile cum teneas, Diuinarum, humanarumque rerum notitiam, iuſti, iniuſtique ſcientiam habeas, & auaritiæ Nuncium remittens, quod labore didiceris, operum virtute comprobante demoſtraueris. IVONEM igitur contemplare, in quo non minus ſapientiam ſuſpicies, quà Iuſtitiæ ſeruiens in pauperum, atque afflictorum defenſione accerrimus fuit, quam eius geſta, quæ incredibilem in omni vitæ decurſu ſanctitatem deprædicant, non enim magis glorioſum exiſtimauit, omnibus profuiſſe, quàm in ſe fuiſſe omni ex parte perfectum, vt nec illacrimatus poſſit, nec illaudatus efferri. Nam, vt propius ſermone potentem agnoſcamus, prætermiſſa eius in ferendis conſilijs maturitate, in uincieudis hominum animis, dexteritate, ſcio ſe pa-

tro-

Digitized by Google

trono, pauperrimos premi, opprimi viduas, pupillos hæreditate ſpoliari paſſum IVONEM non fuiſſe; qui Innocentiam propugnaturus, non niſi innocenter, & innocentia pugnauit. Qui pauperum patronus non negligentiam modo remouit à ſe, ſed facultates ipſe ſuas, eorum in patrocinium impendit. Qui pupillorum Tutor; Principum minas, & potentiam, nec reuereri potuit, nec timere, huic verò vt geſtorum ornamentis memorabilem prædicemus, deeſt ne animi integritas, quam nulla morum labe, nulla cupiditatis lue infectam ſuſpiciamus? deeſt liberalitatis propenſio, moderatio officiorum; morum Sanctitas, quas veneremur? Prudentiam in eo deſiderabimus? Et quis deceptum in cauſis IVONEM vnquam audiuit? Fortitudinem inquiremus? quibus minis, quibus blanditijs IVO, vel leuiter flecti potuit? Temperantiam ab humanis, & Celeſtium in eo voluptatum ſitim exoptabimus? Ille ille IVO eſt, qui non vnum, aut alterum, ſed ſeptem ſolidos dies, totidemque noctes, & continenti precatione; & ciborum continentia perdurauit, & huic ebeſcet animi acies, voluptatibus obcecata? Quid de Iuſtitia? Hæc hæc verè IVONIS anima fuit. An fortè, vel ſemel admonendus vir iſte ſanctiſſimus, vt munerum viueret abſtemius; oculis fideret potius quam auribus? animum à perſonis alienum redderet? in pauperes eſſet miſericors? poteſtatem non ad opprimendas, ſed ad ſubleuandas egenorum Cauſas amplificaret? Forte ne? Abſit. Omnium IVO predicatione linguarum, innocentiæ Templum temperantiæ Sacrarium; Ara Iuſtitiæ, Pauperum patronus, Iuriſconſultorum Cæleſtis Idea prædicabatur.

In IVONE admirari ingenij Acumen poſſumus; quo ſermone potens, Gallicano in foro triumphauit, ſed magis eius admirari conſtantiam geſtorum, qua ſibi ſemper aduerſus, acumen ferri, voluntaria afflictatione ſuo non ſemel lateri admouit, & de victu, ac veſtitu ad egeſtatem vſque ſibi demere, quo pauperibus adderet, excogitauit. hinc eſt, quod ſi ſapientia, Regio illum inaugurauit trono, cum Iuriſconſultorum coronamento decorauit, magis tamen effecit pretioſum, cum non pauperum ſanguine, veluti purpura ditauit, ſed eum, nobiliori ſuarum diuitiarum largitate in pauperes effuſa, & paupertate ſtudioſiſſimè emendicata, clarius illuſtrauit.

O virum omni ex parte memorabilem? & in faſtis eximiæ

Digitized by Google

notæ adiectione ſignandum? qui non ingenij modo impendio, verum, & facultatum omnium profuſione, pauperum corpora à præſenti mortis periculo. animas à perpetua ſempiternæ necis formidine liberaſti. In te ò nobiliſſima Aduocatorum Idæa, Cœleſtis Iuſtitiæ propugnaculum, veritatis ſemper amor eluxit: In te ſine vlla ſuſpicione fides in Clientes eximia: In te à depoſta illa miſerorum viſceribus eloquentia, penitus auerſa voluntas: In te tum in regendis negotijs deſteritas, tum in conficiendis maturitas excelluit. Viciſti ò IVO legum lumina illa clariſſima Gratianos, quando illos ſcripta, te geſta quoque diuinum prædicarunt: Viciſti Rofridos quando illis, iuſtitiam fidem, & charitatem erga homines obſeruaſſe, fæliciſſima hæreditas fuit: Tibi numinis beneficentia non harum tantum ſed omnium virtutum ex aſſe hæredi æternæ contigit Beatitatis Imperium. Azones viciſti Iureconſultorum numina creditos; quando illos, aliorum inuidentia, cæterorum hominum miſerrimos effecit, te omnium citra inuidiam omnibus in pretio habitum omnibus adſpectabilem nullus non eſt amplexus. Nec putetis velim, Heroas iſtos Iuriſprudentiæ nobiliſſimos, cæteroſque præſtantiſſimos viros, quos olim hæc Vrbs innumerabiles tulit: quorum quotidie nomina auditis, facta legitis, monumenta cernitis: ſtatuas tanta cum admiratione intuemini, propterea, quod magnificentius fortè IVONE perorauerint, quod fortius propugnauerint, ſapientiori proindè Iuriſprudentia claruiſſe? Paucos etenim cum IVONE inuenietis, quorum in primis opibus diuites ceteri inceſſerint? Paucos qui aureum alijs ære proprio ſæculum aperuerint, ſibique vitæ aſperitate ferream ætatem adamauerint: Paucos qui oſtenderint operibus nil ditius eſſe, inopia ſponte ſuſcepta, & erui non debere Aduocatorum è manibus aurum, ſi haberi non poſſit, niſi ferro, pauperum ſanguine delibuto; ferè nullos, qui tantum in ſe duri, quantum in alijs optent eſſe benigni: ſed taceo, quæ minus accomodate peritiſſimum declarant Iuriſprudentem: eius ſcilicet ſub pura aqua, paneque arido cibatum quotidie duriſſimum: Veſtem intimam ſetoſo aſperimam cilicio: pro ceruicali duriſſimum lapidem pro lecto nudum Terræ pauimentum: Taceo pauperes, quos aluit innumerabiles: Virgines, quas illocabiles, dote collocauit prope infinitas: exundantes omni ex parte Peregrinos,

qui,

quibus amanter inſidiatus eſt ; vt eius ſemper inhoſpitio reſpirarent. Verum quoties per carceres, & Tribunalia laborij, vitæque non parcens officioſiſſimè ſtudioſiſsimèque diſcurrit. Quoties è potentiorum manibus ingenioſe pupillos eripuit? Quoties viduarum orbitati propugnator oculatiſſimus occurrere non denegauit? Quot damnatorum agmina mortis è faucibus eripientem? Quot reos, ac miſeros ære copioſo è Carceribus emittentem? Quot impios, pietate in bonam frugem redactos euocantem Antiquitas admirabunda ſuſpexit? Quod autem ſine vllo æquitatis diſpendio infinitæ propemodum implicitæque cauſæ expedirentur; quod deſperatæ quamplurimæ miſerorum ſpes prudenti IVONIS Conſilio ſuffultæ, opibuſque ſubleuatæ erigerentur. Quod pene innumerabilia ægenorum Iura profligata in priſtinum robur exurgerent. Quod ex innumera Aduerſariorum multitudine, vix aliquis, qui aduerſo in IVONEM animo eſſet, inueniretur; Quis vnquam noſtrum ab alio, quam à Cæleſti Iuriſperito, quam ab Aduocatorum Idæa, non dicam ſperare, ſed propemodum optare potuiſſet? Memini Agim Latinorum Regem parentum precibus contra Ius ſollicitatum, legibus duxiſſe magis, quam parentibus obtemperandum: libero, planeque Regio animo digna Conſtantia. IVO tamen dignius quid, ac magis commendandum geſsit, dum legibus potius, quam famæ, ac fortunæ, immò vitæ ſuæ commodis proſpiciens, Binos Coniuges, vna cum quatuor liberis ali Domi ſuæ in annum curauit; Et qui pænum ſuum voluit ſinum eſſe pauperum, idem ne deeſſet, qui patrem vocarent exoptauit. Memini ſeniorem è Catonibus Magiſtratum, aut Iudicem, nec pro iuſtis orandum, nec pro iniuſtis exorandum cenſuiſſe; cum vltrò bonis fauendum eſſe pro iniuſtis autem orare, humanitatis, exorare iniquitatis officium exiſtimaſſet. At IVO, cui Cæleſtis erat Iuriſprudentiæ diſciplina, longe ſapientius excogitauit, dum aduerſus neminem in primis ſententiam tulit, quin eius lacrimæ Iudicium comitarentur, & ſuauitas eius cum æquitate permixta damnare quidem impios poterat, ſed miſereri etiam viciſſim damnatos, cum id æquitas poſtulaſſet. Vt iudicium in illo incorruptum animum, lacrymæ manſuetudinem enunciarent. Archidamidæ longe prudentior, qui ſe immeritò laudandum, vt optimum Iuriſconſultum cenſebat, ſi ſceleſti

 etiam

Digitized by Google

etiam homines eum experti fuiſſent manſuetum; non enim manſueti nomine virum illum dignum iudicabat, qui benignitate illectus à recta iuſtitiæ ſemita deflexiſſet. Nec tamen vt Prætor ille apud Veteres Cælebrari ſeueritate voluit, & vt eius Tribunal ſcopulum omnes vocarent Miſerorum. Imò potius ſinum ſuum naufragorum portum, infœlicium Aſilum effecit, qui cum Nerone candidiore vultu ſententias in reos dicturus, illud pronunciabat. Vtinam nunquam literas didiciſſem. Hoc namq; erat, IVONIS mitē animum atq; mentē fuiſſe literis eruditam, vt reos tantum omnes, qua poſſet arte defenderet. Quid mirū ſi in arripiendo æquitatis ac miſerorū patrocinio in abſoluendis iunocentibus, pauperum Aduocati cognomentum ſortitus eſt? qui non ſine magno animi ſenſu, & vnius amore iuſtitiæ, nocentes homines condemnare potuerat? qui ad humana Tribunalia à diuino foro; ad Iudicij munus; ab Aduocati partibus apud Deum in Aris, ad victimas impietatis, & reorum cruentas manus, ab incruento ſacrificio Regalis Sacerdotij faſtigiatus veniebat. Quid mirum ſi illi non erat, vt cæteris, cur caueret nè contra Ius, faſque aliquid faciens, defenſor Iuris, contra Iura peccaret. Quid mirum, ſi Sermone potens, non tam pro mortalium procuratione bonorum apud homines, quam pro animarum ſalute adeo pugnaciter, diuinam etiam Tribunal obſideret, vt orationi ſuæ ſemper cælites fauentes habuerit: Quid mirum ſi operæ potentior humanis animis ſuperatis, orbem pene vniuerſum expugnauit? & quæ nam Deus immortalis vniuerſæ naturæ vox illa fuit cum IVONEM morbos vniuerſos ſermone depuliſſe: flammas Imperijs extinxiſſe, ſigno Crucis prærpoſito per aquas ſibi viam extruxiſſe fati ſui non ignarum veluti victorem ad Dei Tribunal adſtitiſſe, quodammodo paſſa eſt, quæ inquam naturæ illa vox fuit niſi demirantis atque admonentis, cedendum in omnibus IVONI, qui Terram doctrina ſubegerat, & geſtis Cœlum. Quid mirum, ò IVO fortunatiſſime ſi quacumque inceſſeras fauſtis acclamationibus omnia perſonabant, omnes exundantem, & foras erumpere geſtientem lætitiam ore oculis manibus indicabant, ſi omnium in te vno figebantur obtutus ſi omnes te, non vt vnum ex Ciuium Patronis, ſed è Patribus Ciuitatis, & Pietatis arcem intuebantur? Negabit hoc aliquis? fuiſſe ſcilicet hoc

erga

erga te ſtudium, hanc voluntatem, eximij, hanc honoris oſtentationem? huc quot annis accedens apertiſſimè recognoſcet ſub hac tui nominis feſta luce, renouato veluti tui in Vrbem ingreſſu, omnium ad te ætatum, atque ordinum concurſum fieri, tantam tanque effuſam omnis generis multitudinem tuis plauſibus intereſſe, vt ipſi ſeptem colles, ipſa Vrbis mænia, ſi natura peteretur, ſedibus ſuis relictis, ſanctiſsimorum Iuriſconſultorum Idæam veneratura, accedere quodammodo viderentur. Et audebimus virum hunc cum cæteris comparare? an potius Cæleſti quadam aduocatione percelebrē illi quodammodo ſimilem iudicabimus, qui ſuorum ſemper oratione vulnerum, Iudicum pariter, atque Aduocatorum Magiſter, & Dux omnium noſtrum Cauſas agit ad Patrem. Ità ſanè nam cauſas apud illū noſtras peroraturus, dū obiuit mortem, abijt in Cælum; Chriſto eodem diuinitatis nube, ac maieſtate circumfuſo aduocante, quando inter pauperum gregem ingenioſa fraude ſqualidus, exanguis & quaſi monſtrum hominis Pulcritudo Diuinitatis IESVS IVONEM circumuenire tentauit, ſed ab eo blandè tamen deductus, lecto compoſitus, dum fouetur, & recreatur, ex oculis repente in altum euanuit, nouum veluti ad Hoſpitium Cæli IVONEM euocaturus; nè Cæleſtis humanarum legum ſeruator IVO à Diuino Iuris æterni Magiſtro, mutua rectiſsimorum hoſpitum lege fraudaretur in Cælo, Voluitque Deus Pentecoſtes Die ſpiritum illum in Cælum euolare, vt qui non niſi amoris leges, & pietatis iura didiciſſe, geſtiſque compleuiſſe viſus erat, cuius integri mores, cuius æquitas incorrupta, cuius intaminatus animus, cuius pudor penè Virgineus perpetuæ quaſi lampades Iuſtitiæ templum illuſtrarunt; inter Cæleſtium diuini amoris linguarum numerum admiſceretur; noſtram ſemper in Cælo cauſam ſapientiæ lumine ardentibus in nos beneficentiæ operibus peroraturus pariter, & propugnaturus. Animaduertite igitur Patres Sapientiſſimi. Voſque Veteris Herois IVONIS Socij, quibus egenorum cauſas committit Deus: Videte quam bona ſit hæc pauperum cauſa, quam rectè dirigat ſemita æquitatis; credite diuinum ſapere eos, qui ſapientiam pijs geſtis docent inſeruire; exiſtimate vos fructus eſſe IVONIS virtutis, ac Sapientiæ. Vos. Vos enim pietas illa nobis peperit; Eius geſta ſingularia vos nobis ſapientiſ-

ſi-

ſimos, ac humaniſſimos impetrarunt: In vobis ille nunc metit, e Cælo, quod inſignium actionum effuſione in terris ſeminauit. Et dum ille nouus veluti Moiſes in Cælo attollit manus Vos hic ad populorum omnium incolumitatem iniquos, iniuſtoſque Amalechitas ſuperatis; vt æternos poſtmodum honores, ac Triumphos adeuntes, digno Diuinæ Iuriſprudentiæ elogio, legis Peritorum Ideæ cum IVONE prædicemini.

DIXI.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VRI. EC. EMANUELE

Digitized by Google